

PARENTI OPTIMO
ET DE SE EGREGIE MERENTI
VIRO
SUMME REVERENDO
AMPLISSIMO ATQVE CLARISSIMO
DOMINO
M. MAVR. CAROL. CHRISTIANO
W O O G

V. D. M. ET AD AEDEM B. MARIAE VIRGINIS
IN REGIA DRESDENSI
PASTORI VIGILANTISSIMO
DE TRANSACTIS IN OFFICIO SACRO
QVINQVAGINTA ANNIS
DOMINICA V POST FEST. TRINITAT. MDCCLVIII
PIE LAETANTI
GRATVLATVR

CAROLVS CHRISTIANVS WOOG
A. M. GRAECAE ET LAT. LINGVAE P. P. O.
ET PRINCIPVM COLLEGII MAIORIS SOCIVS

EAMQVE PER OCCASIONEM
IACOBI ALPHARABII
EX ANTIQVIS HISTORIIS
DE VSV CORONARVM ET EARVM GENERE
APVD VETERES ROMANOS
LIBELLVM
EX MEMBRANIS NVNC PRIMVM EDIT.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

~~W. O. G.~~

Diss. A. 238 (35)

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including names like 'MAYR CAROL CHRISTIAN' and 'W O O G'.





Quum de argumento libelli cogitarem, quo **TIBI**, Optime Parens, ob exactos in munere sacro feliciter et cum laude quinquaginta annos meam publice testarer pietatem, incidit in manus bonae fatis notae codex membranaceus, varia ad antiquitatem pertinentia continens, quae in altera editione Bibliothecae Menckenianae, Lipsiae MDCCXVII impressae, pag. 833. recensentur exacte; fuit enim olim in Ottonis et Io. Burchardi Menckeniorum scriniis, postea in Kappianis esse coepit. Dum voluo membranas, subsisto ad Alpharabii de coronis tractatum, lego, non displicent lecta: et quidni placere poterat scriptor, qui sua ex antiquis, quos classicos vocamus, desumit, quique ipsa eorum verba profert? quod curatius inquirens facile comperi. Veniebat proinde statim in mentem, posse haec excerpta gratulationi materiam fatis aptam praebere **TIBI** perscribendae: coronas enim, virtutis insignia,



insignia, gratulationis ergo bene merentibus oblatas olim fuisse, vberimis testimoniis confirmat tum Graecorum tum Romanorum omnis antiquitas. Et quamquam beneficii diuini, quod TIBI mihi et omnibus, quibus TV es in deliciis, confert Deus T. O. M. tanta sit magnitudo, vt ad persoluendas ei debitas gratias verba deficere videantur: quamquam benefactorum, quae TV indulgens pater a longo tempore larga manu in me contulisti, et quorum, vt semper, ita nunc praesertim grata est recordatio, dum viuacitate TVA aliquam eorum remunerationem gaudeo, tantus sit cumulus, vt in iis enumerandis et collaudandis copiosam omnino, et filio dignam, haberem scribendi materiam: perstiti tamen in proposito, et argumento carere nolui has TIBI dicatas chartas, tum quia grati animi virtutem in sensu potius quam in verbis positam esse cognoscebam, tum quia TVAM benignitatis noueram abundantiam, quae nullo modo, et ne quidem verbis, reposcit mutuum. Patere igitur, ne voto quidem melior fingende Parens, vt, priusquam scriptio- nem hanc pietatis erga TE meae testem faciam, TIBI ante, munusculi quasi loco, hunc Alpharabii primum in lucem prodeuntem libellum, in quo ex antiquis historiis de coronis apud veteres Romanos agit, submisit offeram. Quod licet vulgare sit tritumque argumentum, TIBI tamen non ingratum fore arbitror, noui enim quanto amore tenearis rerum antiquarum, noui paterni animi aequitatem, qua sperare me posse confido, non iniucundum fore, etiam ab aliis dicta iam iam, ast optimis et probatis scriptoribus, denuo legere, bene praesertim concinnaque breuitate disposita. Obiiciet forte aliquis, intempestiuum esse donum, et veterano theologo, sacro munere tot annis et tanta cum laude fungenti, irreuerenter et temere coronas offerri, a quarum tamen usu veteres priorum aetatum Christi cultores prorsus abhorruisse constat, vt ex Tertulliani libro de corona militis, ex Clementis Alexandrini Paedagogo Lib. II, Cap. VIII quod inscribitur, *εἰ μύροισι καὶ σέφάνοις χρησέον*; an vnguentis et

coro-



coronis vtendum sit, ex Minutii Felicis apologia, nec non ex aliorum aduersus gentilium calumnias apologiis clarum est atque perspectum. Verum enim vero si quis nostra, quae viuimus, tempora a priscis istis distinxerit sedulo, hodie superstitione carebit, coronis uti, easque et offerre, et accipere. Ast superest adhuc aliud, quod peius me habet, et ex quo tam facili negotio me non potero expedire; esse scilicet hoc nimis exiguum donum, nec Alpharabii, ignoti scriptoris, libellum dignum, qui edatur, eumque forte in finem ab ipso auctore non confarcinatum. Haeret hic aqua; et, ut ingenue fatear, nomine Alpharabii mirifice deceptus sum: credebam enim ab initio, eum esse Arabem illum, a patria Farab, siue Pharan, oppido in petraea Arabia sito, dictum Alpharabium; philosophum, medicum et astronomum Saeculo decimo clarum, quo litterarum studia apud Arabes maxime floruerunt; qui Aristotelis philosophia maximopere delectatus est, qui declarationem in eius Rhetorica scripsit quae ducenties legit, et quorum iteratam adhuc desiderauit lectionem, Venetiis 1481. et 1515. Latine in folio editam; cuius praeterea libri, de intellectu, Venet. 1500. folio, item de causis, cum comment. Aegidii Romani, ib. 1550. 4to, et opera quaedam, iunctim edita, Parisiis 1638. 8vo, Latine omnia, extant, ut alia eius opera, quae in bibliothecis manuscripta adhuc latent, taceam; et de quo, praeter alios, legendus est Io. Leo Africanus de medicis et philosophis Arabibus, apud Fabricium Bibliothecae Graecae Vol. XIII, pag. 265. vnum quippe ex iis, qui foedis barbariei saeculis occasionem renascendis litteris dederunt, et classicorum veteres libros in linguam Arabicam transtulerunt. Sed Herbelotti Bibliothecam orientalem, fol. 337. consulens, multa quidem de hoc inter Arabes philosophorum phoenice, quem alterum magistrum vocant, (Aristoteles enim primus est) memoriae digna et lectu iucunda inueni; ast simul cognoui, quod male me valde habebat, eum non *Iacobi*, sed *Muhamedis* habuisse praenomen, et integrum eius nomen esse apud Arabes *Abu*



Nassar Mohammed Tarkhani, Al Fariâbi. In alia igitur terrae plaga quam in Arabia, non sine pudore, quaerendus erat libelli huius auctor: euolo Ioecherianum Lexicon eruditorum maius, atque edoceor, eum ex regno Neapolitano esse accersendum, Leoneffa oriundum, floruisse Saeculo quinto et decimo, edidisseque panegyricum in diui Ludouici regis et christiani foederis celebritate Senatui apostolica dictum, anno 1501. typis exscriptum. Plura non adduntur, nec cuius fide haec referantur. Nicolai Toppi Bibliotheca Neapolitana, duobus voluminibus in folio 1678. edita, quam Ipse TV iudicasti rarissimum librum, ad manus non fuit, hinc plura de auctore huius libelli in praesenti dicere nequeo. Deprehendens igitur errorem meum, quo parum abfui, quin obolo talenti valorem dedissem, abiicere volebam, tineisque et blattis committete Iacobi mei libellum; sed erigebat iterum animum pereximiae TVAE benignitatis et gratiae cogitatio, qua non oblatum donum, sed offerentis animum spectare soles: TIBI enim haec, non aliis scripta cupio. Ut tamen apud alios etiam, qui forte meas quoque legent chartas, aliquid excusationis habeam, Alexandri Magni, plus cuidam dantis quam alter, cui donabatur, fortunae suae conuenire arbitrabatur, responsionem meam nunc facio, *Non quaero, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare.* Seneca de beneficiis Lib. II, cap. 16. Nunc vero, manus TVAS demisse exosculatus, TIBI, Optime Parens, fidenter trado Iacobi Alpharabii libellum, in quo edendo hoc seruavi consilium, vt diligenter emendauerim textum, qui subinde vitiosus erat; vt in notis indicauerim, variantium instituta simul non curiosa tamen nec operosa lectionum obseruatione, ex quo auctore excerpta sint quae proferuntur; et vt adiecerim nonnulla, quae vltiori illustrationi inferuire posse arbitrabar.



Ex an-



Ex antiquis historiis de vsu coronarum
et earum genere apud veteres Roma-
nos IACOBI ALPHARABII Libellus.

C A P. I.

De coronis in genere.

Etsi olim apud orbis nonnullas nationes co-
ronarum genera multa fuere, quarum aliae
in festis Deorum; ^{a)} aliae in conuiujs ^{b)}
choreisque ^{c)} adhibebantur; quaedam in ne-
nijs

CAP. I. a) *In festis Deorum*] Hae *sacerdotales* vocantur, quibus sacer-
dotes potissimum coronabantur. Sic Apollinis sacerdos HO-
MERO Iliad. α. describitur *σέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἐκηβόλα* Ἀπόλ-
λωνος. Sic inter picturas Parrhafii sacerdotem commemorat PLI-
NIVS Lib. XXXV, cap. 10, quem pinxit aditante puero cum
acerra et corona.

b) *In conuiujs*] Adhibebantur *coniuiales* coronae ad vini vapores
et ebrietatem cohibendam; fuerunt primum ex lana, nempe ne
caput doleret, fascia linea illud vinciebant, mox floribus omni-
bus, excepto apio; sed maxime rosa, aliisque floribus ebrieta-
tem prohibentibus, utebantur.

c) *Choreisque*] Hinc FESTO videtur vocabulum *corona* originem
traxisse, carere tamen aspiratione, quod eas in choreis et saltationi-
bus gestare mos erat.



niis ^{d)} et luctu, vt apud Corinthios ex apio ^{e)} arbore coronae in sepulchris ponebantur, quae mox pineae ^{f)} fuere, vt in Timoleonte Plutarchus ^{g)} scribit; aliae, et quidem plures, virtutis insignia bene meren-

d) *In neniis*] I. e. in cantionibus funebribus, quae a praefica in defunctorum laudes ad tibias canebantur. Digitum intendit ad coronas *sepulchrales*, quibus et lectum, quo efferebatur mortuus, et urnam, in quibus cineres condebant, et ipsum sepulchrum exornabant. Texebantur ex apio apud Graecos, apud Romanos ex rosis, myrto, liliis, amarantho.

e) *Apio*] In Codice scriptum *vt apud Corynthyos ex Appio*, male. Apium, Graecis *σέλινον*, herba sponte nascens est, *defunctorum epulis feralibus dicatum*, PLIN. Lib. XX. cap. 44. SVIDAS voce *Σελίνου σέφανος*, *Aprii corona, lugubris: apium enim luctui conuenit*. Inde apud Graecos prouerbium *δεισθαί τοῦ σελίνου*, apio indigere, quod, vt SVIDAS iterum ex Plutarcho tradit, de iis dicitur, qui desperate decumbunt. Solemus enim inquit, monumenta mortuorum apio coronare.

f) *Mox pineae*] Coronas sepulchrales pineas mox fuisse, non liquet ex PLUTARCHO, apud quem de coronis in ludis Isthmicis datus fermo est. Audiamus bonum omen demonstrantem: *Corinthii enim, qui sacram arbitrantur et patriam aprii coronam, eâ victores Isthmicorum ludorum coronant. Nam Isthmiorum ea etiam tum aetate, vt nunc Nemeorum, apium corona erat, non ita dudum successit pinus*. Conferatur PLINIVS Lib. XIX. Sect. 48, Harduin.

g) *Plutarchus*] Locus est Timol. pag. 248, Tom. I Operum, editionis Wecheliana, vbi de Timoleonte in aciem profecturo commemorat, collem subeunti occurrisse mulos, apium ferentes; milites foedum omen putasse; Timoleontem vero, vt consternatione liberaret exercitum, coronam ante victoriam ipsis fausto omine in manus venire vltro, demonstrasse, et primum ex eo coronam accepisse, secutos duces et milites.



merentibus dari consueuerunt: ^{h)} antiquitus tamen ⁱ⁾ nulla corona nisi Deo dabatur; ob id Homerus coelo tantum eas et praelio vniuerso ^{k)} tribuit, quae militares dicerentur; ^{l)} viritim vero ne in certamine quidem vlli dabatur, feruntque primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo coronam ex hedera. ^{m)} Postea Deorum honori sacrificantes sumpserunt, victimis simul coronatis

h) *Consueuerunt*] Scilicet coronae *militares*, de quibus ex instituto agitur infra capitibus aliquot.

i) *Antiquitus tamen*] Ignoro vnde descripta sit haec periodi protasis, quae scite satis coronas omnes in sacras, laetitiae, sepulchrales et militares diuidit: apodosi tamen, et quae sequuntur omnia in hoc capite, PLINII sunt, Hist. nat. Lib. XVI, cap. 4.

k) *Praelio vniuerso*] Solent hanc in rem interpretes allegare Iliad. v' versum 736. vbi Polydamas, Hectoris in pugna audaciam leniter reprimens, ita:

Πάντη γάρ σε πέρι σέφανος πολέμοιο δέδηε.

Vnde quaque enim te circum corona praelii flagrabat.

Sed vereor ne perperam, et ne h. l. *praelii corona* circumfusos in agmine hostes notet, vt corona apud Latinos, coetum, turbam. Scholia, quae BARNESIVS edidit, σέφανον πολέμου ita interpretantur, πανταχόθεν γάρ σε περιεκυκλώσαντο οί πολέμοιοι, *vndique enim te circumdederant hostes*, et ita etiam vertit Alexander ROPIVS, vers. 923, cuius incomparabilis versio saepe commentarii loco esse potest, licet eorum caeteroquin non probem institutum, qui versionis huius versionem Germanicam nunc curant. Quo loco Homerus coelo coronas dederit, nunc non occurrit.

l) *Quae militares dicerentur*] PLINIVS haec non habet, quemadmodum nec dabatur.

m) *Coronam ex hedera*] Apud PLINIVM, omisso substantiuo rei quarti casus, *imposuisse capiti suo ex hedera*. Hinc Bacchus apud poetas κισσοκόμης κισσοσέφανος, hedera redimitus, vocatur. In MSTO *haedra*.



natis. ⁿ⁾ Nouissime et in sacris certaminibus ^{o)} vsurpatae, in quibus, Plinii aetate, ^{p)} victori nondum dabantur, sed patriam ab eo coronari ^{q)} pronunciabatur. Inde natum est, vt et triumphaturis conferrentur, in templis dicandae; mox vt in ludis ^{r)} darentur.

C A P. II.

Coronarum origo, et genera apud Romanos, et quae spicea corona?

Romanis plura sunt genera quam cunctis, apud quos prima corona fuit spicea, ^{a)} vitta alba

- ⁿ⁾ *Victimis simul coronatis*] Inde sensus ACT. XIV, 13. ταύρους καὶ σέμματα.
- ^{o)} *Sacris certaminibus*] Instituebantur in honorem alicuius numinis aut herois, et erant corporum certationes cursu, et pugillatione, et luctatione curriculisque equorum. CIC. de legib. II, 15.
- ^{p)} *Plini aetate*] In PLINIO: hodieque non victori datur, multitudinis numerus magis placet, *pronunciatur*.
- ^{q)} *Patriam ab eo coronari*] Conferatur PLIN. Lib. VII, Sect. 27, vbi de Pompeio refert, eum hos, quos recenset, patriae retulisse titulos, *more sacris certaminibus vincantium. Neque enim ipsi coronantur, sed patrias suas coronant.* Vid. HARDVINVS ad h. l. Nero Caesar, apud XIPHILINVM, hoc proeconio victor fuit declaratus: *Nero Caesar certamen vincit, et populum Romanum coronat, et proprium imperium.*
- ^{r)} *In ludis*] Editiones PLINII habent *et ludis*. Hae coronae vocabantur *donaticae coronae*, quas FESTVS dictas inde scribit, *quod his victores in ludis donabantur, quae postea magnificentiae caussa institutae sunt super modum aptatae capitibus, quali amplitudine fiunt cum lares ornantur.* SCALIGER, in Festum, pag. 57 putat has aliter prouinciales fuisse dictas, de quibus Tertullianus: sunt et prouinciales aureae, imaginum iam, non virorum, capita maiora quaerentes.
- C A P. II. Quae hoc capite traduntur, maximam partem PLINII sunt, atque ex eius Lib. XVIII, cap. 2, licet non iisdem verbis et ad-



ba^b) colligata. Romulo, duodecimo aruorum fratri, ^c) primum tradita ^d) est, tanquam relligiosissimo; qua, qui merebant ^e), in tota vita vti solebant, exulantesque, aut capti in hostium potestate, eodem modo,

B 2

CAP. III.

et additis quibusdam, excerpta. En ipsa verba: *Aruorum sacerdotes Romulus inprimis instituit, seque duodecimum fratrem appellavit inter illos, ab Acca Laurentia nutrice sua genitos, spicea corona, quae vitta alba colligaretur, in sacerdotio eis pro religiosissimo insigni data, quae prima apud Romanos fuit corona, honosque is non nisi vita finitur, et exules etiam captosque comitatur.*

- a) *Spicea*] Praeter fratres aruales hanc coronam etiam Ceres habet in numis, gemmis, et fabulari gentilium antiquitate, quia Ceres terra est, et spicarum omnisque segetis mater. Imponitur adhuc hodie a Germanis et Anglis nouiter nuptis, in votum multae prolis.
- b) *Vitta alba*] Infulse scribitur in codice *vitta Alba*, quasi vero Alba Longa a Romulo Rege, restituto Numitore, victa fuisset vnquam.
- c) *Aruorum fratri*] Fratrum Arualium officium erat, Cereri et Baccho pro vbertate aruorum et vitium sacra facere.
- d) *Primum tradita*] Haec vnde? nescio, et vereor ne falsa. Romulum dedisse, non accepisse coronam, ex PLINIO constat, quod et Aul. GELLIVS Lib. VI, cap. 7. scribit: *Acca Laurentia ex duodecim filiis maribus vnum morte amisit, in illius locum Romulus mulieri sese filium dedit, seque et ceteros eius filios fratres aruales appellavit. Ex eo tempore collegium mansit fratrum arualium numero duodecim, cuius sacerdotis insigne est spicea corona et albae infulae.* PASCHALIO tamen, de coronis Lib. VII, c. 15, haec etiam videtur esse antiquissima ob id, quod Romulus ea coronatus sit.
- e) *Qui merebant*] Fratrum quippe arualium munus, vt augurum, pontificum, aliorum, perpetuum erat.



C A P. III.

Strophiolae et seruiæ, et paciles coronae.

Strophia, ^{a)} et strophiola, coronae dicebantur inter sacra tantum et bellicos honores. Cum e floribus ^{b)} fierent, seruiæ ^{c)} et ferta nuncupari coeperunt, etsi postea artificiosæ ^{d)} et ficticiæ excogitatae sunt. M. Crassus, ^{e)} ille diues, primus argen-

CAP. III. a) *Strophia*] Erant fasciae pectorales; erat tamen et strophium insigne capitis, vel corona de duabus aut tribus taeniis ita iuicem tortis, ut e pluribus una fieret; ἀπὸ τῆς στρέφειν, a vertendo sic dicta. FESTO stropus est, quod Graece στρόφιον vocatur, et quod sacerdotes pro insigni habent in capite. Στρέφιον, ὃ οἱ ἱερεῖς φέρουσι, HESYCHIVS. Haec a nostro prolata apud PLINIVM, Lib. XXI, cap. 2, ita: *Quaedam coronae per coronas currunt. Tenuioribus utebantur antiqui, stroppos appellantes, unde nata strophiola. Quin et vocabulum ipsum tarde communicatum est, inter sacra tantum et bellicos honores coronis suum nomen vindicantibus. Cum vero e floribus fierent ferta, a ferendo seruiæ appellabantur.*

b) *E floribus*] In Codice est *a floribus*.

c) *Seruiæ*] Verba PLINII ob *seruiæ* vocabulum criticis merito suspecta sunt: hinc legunt alii *seriuae*, quod aequè obscurum, alii *sertaue*, ad VIRGILII interpretem prouocantes, qui Aeneid. V, 421. *serta*, et *sertas*, in foeminino et absolute, dici posse obseruauit. Placet Harduiniana coniectura *serieue*; qua admissa, ita nunc distinguo. *Cum vero e floribus fierent, ferta (a ferendo, serieue) appellabantur.* Nam et a sero series dicta est.

d) *Artificiosae*] In MSTO est *artificiose*.

e) *M. Crassus*] Hic est ille, cuius infra Cap. VIII iterum fit mentio, P. Crassi filius, Romanorum omnium ditissimus, qui negavit quempiam diuitem habendum, qui annuo reditu exercitum alere non posset. Historiam eius habemus apud APPIANVM in Parthicis, PLVTARCHVM in M. Crasso. Haec iisdem ver-

bis



argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit. Fuerunt et pactiles ^{f)} coronae, et sutiles, ^{g)} saliorum ^{h)} sacerdotum, et mox rosalia

B 3

bis a PLINIO relata legimus Lib. XXI, cap. 3. (Sect. Harduin. IV, fol. 233, Tom. II.) *Crassus diues, primus argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit.*

f) *Fuerunt et pactiles*] Apud PLINIVM c. 1. (Sect. VIII, Harduin.) fol. 235. haec ita leguntur: *Et iam tunc coronae Deorum honos erant, et Larium publicorum priuatorumque, ac sepulcrorum, et Manium: summaque auctoritas pactili coronae. Sutiles saliorum sacris inuenimus, et solemnes coenis. Transiere deinde ad rosaria: eoque luxuria processit, vt non esset gratia nisi mero folio. etc.* Pactilis siue plectilis quod idem est corona, Graecis *σεφάνωμα πλεκτὸν, πηκτὸν* dicta, floribus artificiose mixtis pangebatur, in-textis saepe aliis rebus, praesertim aureis animalculis, v. c. cicadis, quibus Athenienses aborigines se esse, *αυτόχθονας*, declarabant; cicadas enim e terra procreari tradunt. Tales saepe in nummis, in ornatu capitis Augustarum, capillis in conum congestis videre est.

g) *Sutiles*] Inter coronas pactiles et sutiles hoc discriminis interfuisse arbitror, quod in illis flores integri cum caule et pediculo pangerentur, in his vero folia tantum consuerentur, ita vt earum omne decus fuisse credam artificiosam quandam suturam, et mixtionem foliorum, quorum alia aliis squammatim veluti infererentur. Habuisse enim veteres conditurae rationem, qua folia rosarum sic macerabantur, vt manus artificis et puncturas, quibus necerentur, pati possent, tradit APICIUS de re culinari, Cap. I, 4. TURNEBVM non capio, qui PLINII locum ita emendat: *pactili coronae summa fuit auctoritas, vt in Saliorum sacris inuenimus solemnes coenas*; nisi hac contorta emendatione efficere voluit, diuersas non fuisse pactiles et sutiles coronas.

h) *Saliorum*] Salii qui Romae fuerint sacerdotes, res nota satis, eorum vero sutiles coronas fuisse, non capiendum est ita, ac si in publicum prodeuntes aut sacra facientes iisdem tecti semper esse debuerint; apice enim, siue in coni formam fastigiato pileo tegebantur

geban-



lia, ⁱ⁾ mero folio, ^{k)} passim in usu: hibernae etiam, cum flores foliaque abessent, ^{l)} ramento e cornibus tincto, ^{m)} et e lamina aerea tenui inaurata atque inargentata.

CAP. IIII.

gebantur, ut in gemma apud AUGUSTINUM, Tom. I, 13, et in Museo Florentino, Tom. II, tab. 23, videndum est; sed quia, peractis in comitio quotannis solemnibus sacris, lautissima sequebatur coena, et quia, FESTO teste, iisdem per omnes dies, ubicunque manebant, amplae ponebantur coenae. *Inde si quae aliae magnae sunt epulae saliares appellantur.*

i) *Rosalia*] PLINIVS et Lexica constanter scribunt *rosaria*, apud PEROTTVM tamen *rosalia*, *coronae e rosis factae*, quando nimirum nulla aliarum florum folia adhibebantur, sed meris rosarum foliis coronae istae, seu mitellae in conuiuiis lautioribus adhibendae, consuebantur.

k) *Mero folio*] Mallem legere, etiam apud PLINIVM, *mero rosae folio*.

l) *Cum flores foliaque abessent*] I. e. Erant praeterea aliae coronae fictitiae quae hibernae dicebantur, et quae tempore hiemis, quo terra flores negat, modo ex tenui rasura cornea fingebantur, variisque coloribus tingebantur, modo ex lamellis fiebant. Clarius et plenius haec PLINIVS, citato libro, Sect. Hard. III, ita: *Sic coronis e floribus receptis, paullo mox subiere, quae vocantur Aegyptiae, ac deinde hibernae, cum terra flores negat, ramento e cornibus tincto. Paullatimque et Romae subrepsit appellatio, corollis, inter initia propter gracilitatem nominatis: mox et corollariis, postquam e lamina aerea tenui inaurata aut inargentata dabantur. Hibernarum coronarum PLIN. iterum meminit c. l. Sect. 23. de amaranto scribens, eum, postquam defecere cuncti flores, madefactum aqua reuiuiscere, et hibernas coronas facere.*

m) *Ramento e cornibus tincto*] Negligenter in Codice *ramento cornibus tincto*, quod diu me exercuit; volebam emendare, priusquam PLINIVM euoluerem, *ramento coloribus tincto*. Ramentum significat tenues cuiusque rei particulas, lima aut simili instrumento tritas, et quasi rasuram; unde ramenta metallorum, lignorum, cornuum et caeterarum rerum dicimus.



C A P. IIII.

Vsus e fronde, et qui primi coronati.

Ceterum ramis tantum arborum coronari in sacris certaminibus mos primum fuit. ^{a)} Romulus rex frondea corona Hostum Hostilium ^{b)} coronavit, qui Fidenam urbem primus irrupisset. Avus hic fuit Tullii Hostilii regis. Et P. Decium ^{c)} patrem, tribunum militum, frondea donavit exercitus ab eo servatus, Imperatore Cor. Cosso Cos. Samnitium ^{d)} bello.

C A P. V.

De coronis militaribus.

Militares vero coronae apud Romanos multifariae sunt, quarum nobilissimas esse accepimus triumphalem, obsidionalem, civicam, muralem, castrensem, naualem, ovalem, et oleaginam.

C A P. VI.

CAP. IIII. a) *Mos primum fuit*] Haec PLIN. Lib. XXI, cap. II, (Sect. 3) habet, quae autem sequuntur apud eundem Lib. XVI, Cap. IV (Sect. 5) leguntur iisdem propemodum, ad minimum parum diuersis, verbis.

b) *Hostum Hostilium*] Hic ab auctoribus veteribus, nunc Hostius Hostilius, nunc eodem nomine ac nepos Tullius vocatur. Apud PLIN. quod *Fidenam prius irrupisset*. Videtur omnino H. Hostilio data corona castrensis potius seu vallaris, quam obsidionalis.

c) *P. Decium*] Cuius iterum infra Cap. VIII fit mentio, vbi de coronis obsidionalibus agitur.

d) *Samnitium*] In Codice scribitur *Samnitum*.

CAP. V. Haec, et quae de militaribus coronis porro refert, ex AVLO GELLIO, Noctium Atticarum Libro V, Cap. VI desumpta sunt,



C A P. VI.

Coronae triumphales.

Triumphales coronae aureae erant, quae Imperatoribus ob honorem triumphi mittebantur: ^{a)} id vulgo dicebatur aurum coronarium

sunt, qui locus hac in re praestantissimus omnino et classicus est. Coniectura vero Antonii THYSII, GELLIVM habere sua ex Claudio Saturnino, cuius de coronis librum TERTULLIANVS, de corona militis Cap. VI, praestantissimum in hac materia laudat, admodum infirma mihi videtur, ex iis enim, quae hinc inde Tertullianus ex illo retulit, Claudius de sacris et Deorum potius, quam militaribus coronis egisse videtur. Ipsa vero GELLII verba, ut in Oiseliana editione exhibentur, haec sunt: *Militares coronae multifariae sunt, quarum quae nobilissimae sunt, has ferme esse accepimus, triumphalem, obsidionalem, ciuicam, muralem, castrensem, naualem, est ea quoque corona, quae oualis dicitur. est item postrema oleaginea.*

CAP. VI. Postquam de oleagineis, ultimo loco commemoratis, prius egerat, ita pergit Gellius l. c. *Triumphales coronae sunt aureae, quae imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur, id vulgo dicitur aurum coronarium, hae antiquitus e lauro erant; post fieri ex auro coeptae.*

a) *Mittebantur*] Gratulationis ergo, a sociis et amicis gentibus, immo exigebantur, et ut ab hostibus manubias cogebat victor, ita ab amicis et subditis coronas triumphales, quae tributi speciem habebant, postulabat. Hae, occulta quasi spolia, numero frequentissimi in triumpho praeferebantur, ponderosiores et tantae magnitudinis, ut colossaea capita quaerenda fuissent, quibus imponerentur, seu ut IVVENALIS, Sat. X, 40 ridet:

magnaeque coronae

Tantum orbem, quanto ceruix non sufficit vlla,

Tales centum viginti quatuor in triumpho tulit Q. Fulvius Flaccus, LIV. XL, 43, Cn. Manlius, cum Gallo - Graecos vicisset habuit CC. duodecim pondo singulas, IDEM XXXVIII, 7, Iulium Caesa-



um^b, sed primum fuerunt e lauro, ^c) postea ex auro coeptae.

CAP. VII.

Caesarem in suis triumphis tulisse duas et viginti et octingentas supra duo millia coronas, APPIANVS refert, de bellis civil. Libro II, pag. 802, edit. Tollii, ἔλκοντας ἐς δισμυρίας καὶ δέκα καὶ τέσσαρας καὶ τετρακοσίας λίτρας, quae ponderis habuerunt XXMCCCXIII libras, et valuerunt nostra moneta, auri libra centum viginti octo ducatis aestimata, octo circiter milliones Ioa-chimicorum. In Graecia hoc quoque in vsu fuisse multis comprobari potest exemplis, sic apud ΑΤΗΕΝΑΕΥΜ Lib. XII, pag. 539 Chares de Alexandro M. refert, quod post victum Darium, partim a legatis, partim a reliquis, ad regem missae sunt coronae talentis decies mille et quingentis aestimatae.

b) *Aurum Coronarium*] Non omnino recte, aurum enim coronarium diuersum erat a coronis aureis triumphalibus, nec istae solum, sed aurum et pecunia ad coronas mittebatur, atque id proprie aurum coronarium dicebatur; non quod ob peculiarem splendorem coronis faciendis aptissimum esset, vt LAZIVS contendit, sed illud, siue aurum, siue argentum, quod vna cum corona victori offerebatur. Sic Antiochum, asserta Gerraieis libertate, quingentis argenti talentis coronatum fuisse, POLYBIVS tradit: Κυρωθείσης τῆς ἐλευθερίας τοῖς Γερραίοις ἐσεφάνωσαν παραχρῆμα τὸν Ἀντίοχον, τὸν βασιλέα, πεντακοσίοις ἀργυρῆς τάλαντοις κ. τ. λ. Tom. II, p. 1523 edit. Gronouianae. Sic Manlio, vt cohiberet a populatione militem in coronam auream quindecim talenta oblata memorat LIVIVS, qui citato supra loco oblatum ei quoque, aurum coronarium praeter coronas aureas enumerat, hunc in modum: In triumpho tulit coronas aureas CC. duodecim pondo: argenti pondo CCXX. millia: auri pondo MMCCIII: tetradrachmum Atticum CXXVII. millia: cistophorum CCL. Philippeorum aureorum nummorum sedecim millia CCCXX. Inde non mirum in triumpho tanta stipendia militibus potuisse solui, tot spectaculis et ludis impendi, tantas plebi fieri largitiones.

c) *E lauro*] Laurea quippe Appollini vel Libero sacrata est, illi vt deo telorum, huic vt deo triumphorum. Sic docet Claudius,

C

apud



CAP. VII.

Oleaginae.

Oleaginae erant ex olea, qua vti solebant qui in praelio non fuerunt, sed triumphum procurabant.

CAP. VIII.

Oualis corona.

Oualis vero corona myrtea est, ^{a)} eã vtebantur imperatores qui ouantes introibant urbem

apud TERTULL. de cor. mil. cap. X. Errat vero FESTVS, de verb. signif. v. *triumphales coronae*, qui temporibus tantum antiquis propter paupertatem laureas in vsu fuisse tradit, quum compertum sit, republica etiam florentissima, lauream coronam a triumphantibus in capite fuisse gestam. Imperatorum laureata in nummis capita et Iulii Caesaris consuetudo perpetuo gestandae lauream ad tegendam caluitii deformitatem hoc affatim probant. SVET. in illius vita, Cap. XLV.

CAP. VII. Haec GELLIVS iisdem verbis, nisi quod loco *solebant, procurabant*, sit *solent, procurant*. FESTVS causam addit, cur oleagineis coronis ministri triumphantium vtebantur, quod Minerua dea belli esse putabatur. Fuisse tamen eas militibus aliquando quoque virtutis causa et praemii loco datas, patet ex DIONE Cassio, qui Lib. XLIX, cap. 14 testatur, Augustum victo Pompeio praemia tribuentem singulis militibus quingentos denarios, nauale praeli victoribus etiam coronam oleaginam (*σέφανον ἐλαίας*) dedisse. Confer eundem Lib. XLVI, cap. 40, et APPIANVM, Lib. III, pag. 930, vbi eadem *σέφανος θαλασσοῦ* vocatur.

CAP. VIII. a) *Myrtea est*] In Codice *myrthea* cum adspiratione scribitur non sine mendo. Veneri sacra habebatur myrtus, a qua illa quoque olim Myrtea dicta fuit, quam Plinii aetate Murciam appellarunt, Lib. XV, Cap. 29, Sect. 36. Rationem vero, ob



bem ^b). Ouare etenim erat, cum ob victoriam non sanguinolentam, et non maximi pretii, imperatores urbem pedibus ingrediebantur, vt ait Massurius Sabi-

C 2

Sabi-

ob quam myrtus huic adhibita fuerit honori, reddidit GELLIVS verbis statim adiiciendis, quae omisit noster. Erat itaque ouationis insigne frons Veneris, sed non procacis illius et libidinosae, verum bellacis, victricis, et triumphatricis, quod PLIN. cit. loco Sect. 38, iam iam annotauit, *Myrtus*, inquit, *bellicis quoque se rebus inseruit, triumphansque de Sabinis Posthumius Tubertus in consulatu, (qui primus omnium ouans ingressus urbem est,) quoniam rem leuiter sine cruore gesserat, myrto Veneris victricis incessit, optabilemque arborem etiam hostibus fecit. Haec postea ouantium fuit corona,*

b) Haec ad litteram ex GELLIO, qui ita tamen pergit: *Quandi autem ac non triumphandi causa est, quum aut bella non rite indicta, neque cum iusto hoste gesta sunt; aut hostium nomen humile, et non idoneum est, vt seruorum piratarumque: aut, deditioe repente facta, impulcrea, (i. e. non molesta, sine multo puluere aut labore) vt dici solet, incruentaque victoria obuenerit. cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, sed quasi Venerius quidam triumphus foret. Hanc myrteam coronam M. Crassus, quum bello fugitiuorum confecto ouans rediret, insolenter aspernatus est, senatusque consultum faciendum per gratiam curauit, vt lauro, non myrto, coronaretur. M. Cato obiecit M. Fulvio Nobiliori, quod milites per ambitionem coronis, de causis leuissimis, donasset. de qua re verba ipsa apposui Catonis. Nam principio quis vidit corona donari quemquam, quum oppidum captum non esset, aut castra hostium incensa non essent? Fuluius autem, in quem hoc a Catone dictum est, coronis donauerat milites, quia vallum curauerant, aut quia puteum strenue foderant. Praetereundum non est, quod ad ouationes attinet: super quo dissensisse veteres scriptores scio. partim enim scripserunt, qui ouaret introire solitum equo vehentem: (i. e. vectum) at Sabinus Massurius pedibus ingredi ouantes dicit, sequentibus eos non militibus sed vniuerso senatu.*



Sabinus^{c)}, sequenti vniue. so tantum Senatu, et non militibus. Hanc myrteam^{d)} coronam M. Crassus, bello fugitiuorum^{e)} confecto, aspernatus est, et lauro potius coronari voluit.

C A P. VIII.

De corona obsidionali.

Obsidionalis corona^{a)} est, quam ii, qui liberati essent^{b)} obsidione, dant ei duci, qui liberauerit. Ea corona graminea est, obseruarique solitum

c) *Massurius Sabinus*] Fuit Sabinus Massurius, quem Athenaeus, Plinius, Persius per simplex s. scribunt, eques Romanus, Iurisconsultus celeberrimus, qui tempore Tiberii floruit, primusque fuit qui ex auctoritate a Tiberio sibi concessa, populo de iure publice respondit. PERSIVS Sat. V, 90. de eo:

Excepto, si quid Masuri rubrica vetauit.

Huius non semel meminit Gellius, eiusque in corpore iuris crebra est mentio.

d) *Myrteam*] MST. iterum habet myrtheam, per th.

e) *Fugitiuorum*] Seruorum nempe, quod et bellum Spartacium vocatur, a duce Spartaco, mirmillone, qui multa seruorum millia ad vexillum vocauerat, exercitum consularem aliquoties vicerat, et de inuadenda vrbe deliberabat, ita vt totis imperii viribus contra eum confurgendum. De hoc bello scripsit copiose PLUTARCHVS in Crasso, et FLORVS Lib. III, c. 20. Conferatur LIV. Epit. 95. 96. 97. APPIANVS de bell. civ. Lib. I, p. 702, vt alios taceam. De Crasso supra, Cap. II.

CAP. IX. a) *Obsidionalis corona*] Graece πολυορκητικὸς σέφανος, apud Latinos duplicem adeptam est denominationem, nam et obsidionalis dicitur, et graminea, a materia quippe; quia, vt PLINII verbis eloquar, summum victoriae indicium erat, herbam porrigere victos, hoc est terra, et altrice ipsa humo, et humatione etiam cedere. PLIN. Lib. XXII, cap. 4. Effigiem eius in

in



solitum, vt fieret e gramine, quod in eo loco generatum esset, intra quem clausi erant qui obsidebantur. e) Haec aureas, gemmatas, vallares, murales, rostratas, ciuicas, triumphalesque coronas antecellit. Miles imperatori hanc dat, nullique, nisi

C 3

in nummo Licinii Egnatii Gallieni aureo videmus, qui in thesauro Regis Galliae seruatur, et prae caeteris celebratissimus est. Exhibet enim barbatum Gallieni caput corona graminea cinctum cum inscriptione GALLIENAE AVGVSTAE, in auersa Victoria in bigis est, VBIQVE PAX. Hunc nodum Gordium ita solvunt rei nummariae periti, primas tantum ibi exprimi totidem fere vocum litteras, ita vt prioris inscriptionis sensus sit: GALLIENO Augusto Edua Augusta urbis seruatori triumphalem Arcum erexit. Posterioris: victoria Bisuntina Quietem Eduae peperit Augusti x decennialibus. Ingeniose satis, vereor admodum, ne vane. Non displicet VAILLANT, qui in ludibrium Gallieni usum putat. *Numism. Imp. Tom. II, p. 369.*

- b) *Essent*] Scriptum prius erat *sunt*, quod corrigitur *essent*, vt fere fit semper.
- c) *Obsidebantur*] Haec huc vsque apud GELLIVM omnia, iisdem verbis, nisi quod loco *essent*, et *liberauerit*, sit *sunt*, et *liberauit*; pergit autem hunc in modum statim: *Hanc coronam gramineam senatus populusque Romanus Q. Fabio Maximo dedit bello Poenorum secundo; quod urbem Romanam obsidione hostium liberasset.* Quae apud nostrum sequuntur, ex PLINIO, mutatis et omissis haud paucis, esse videntur, qui Lib. XXII, cap. 4, ita: *Corona quidem nulla fuit graminea nobilior, in maiestate populi terrarum principis, praemiisque gloriae. Gemmatae et aureae, vallares, murales, rostratae, ciuicae, triumphales, post hanc fuere, suntque cunctae magno interuallo, magnaue differentia. Caeteras omnes singuli, et duces ipsi, Imperatoresque militibus, aut aliquando collegiis, dedere, decreuit in triumphis Senatus, cura belli solutus, et populus otiosus: Graminea nunquam nisi in desperatione suprema contigit, nulli nisi ab vniuerso exercitu seruato decreta. Ceteras Imperatores dedere, hanc solam miles Imperatori.*



nisi ab vniuerso exercitu seruato seruatori, est decreta. ^{d)} Eam ^{e)} P. Sicinius Dentatus ^{f)} et P. Decius, ^{g)} tribunus militum, ^{h)} bello Latino ⁱ⁾ accepit. Q. Fabius Maximus, ^{k)} pulso ex Italia Annibale

d) *Est decreta*] Sine omni sensu haec in membrana vitiose et scribuntur et interpunguntur ita: *Miles Imperatori hanc dat: nullique nisi ab vniuerso exercitu seruata: Seruatori est decreta.*

e) *Eam*] Haec vox abest in Manuscripto.

f) *P. Sicinius Dentatus*] Hic L. Siccus audit LIVIO, Lib. III, c. 43, PLINIO, Lib. VII, c. 19, GELLIO, Lib. II, c. II, aliisque, item in citato saepius PLINII loco, Lib. XXII, c. 5, ex quo Alfarabius sua hausit, vbi ita: *Donatus est ea L. Siccus Dentatus semel, cum ciuicas quatuordecim meruisset, depugnasset CXX praeliis semper victor.* Sicinium tamen vocant VALERIUS MAX. Lib. III, cap. 2. FVLGENTIVS, SOLINVS, FESTVS, alii; et est gens Sicinia, vel Siccia, quod antiqui scriptores promiscue dicunt, inter Romanas notissima, vt ex nummis, in quibus Q. Sicinium saepe legimus, apparet. Ex ea Lucius Siccus fuit, primus, vt traditur, tribunus plebis, cui tamen male Publii praenomen tribuitur a nostro.

g) *P. Decius*] Mus cognominatus, ex corporis nota, vt Sicinius modo Dentatus: talium cognomentum rationem et originem legimus apud PLVTARCHVM, Coriol. cap. 14, et 15. Decius duas obsidionales coronas accepit, vt PLINIUS auctor est, qui c. 1. ita pergit: *Quidam Imperatores ea saepius donati sunt, veluti P. Decius Mus, Tribunus militum, ab exercitu: altera ab his, qui in praesidio obsessi fuerant. Quanta esset eius honoris auctoritas, confessus religione est: siquidem donatus bouem album Marti immolauit, et centum fuluos, qui ei virtutis causa dati fuerant simul ab obsessis.* Quem locum FESTVS transferipit, verbo obsidionalis.

h) *Militum*] In codice est *plebis*, emendaui ex Plinio.

i) *Bello Latino*] Samniticum intelligitur bellum, de quo FLORVS Lib. I, c. 16. et LIVIVS Lib. VII. multis capitibus, in primis cap. 37.

k) *Q. Fabius Maximus*] Qui Cunctatoris cognomine omnibus est maxime



bale, a S. P. Q. R. donatus est et vniuersae Italiae rogatu.

C A P. X.

De corona ciuica.

Ciuica corona ^{a)} appellatur, quam ciuis ciui, a quo seruatus est in praelio, testem vitae salutisque perceptae dat ^{b)}. Ea iligna, ^{c)} i. e. ex ilice,

maxime notus. PLIN. c. l. *Data est et a Senatu populoque Romano, (qua claritate nihil quidem in rebus humanis sublimius duco,) Fabio illi, qui rem omnem Romanam restituit non pugnando. Nec data cum Magistrum equitum et exercitum eius seruasset, (Minutium, victum ab Hannibale; sequuntur alia) sed Hannibale ex Italia pulso. Quae corona adhuc sola ipsius imperii manibus imposita est: et quod peculiare ei est, sola a tota Italia data.*

C A P. X. a) *Ciuica corona*] Inter obsidionalem, et ciuicam, πολιτικὸν σέφανον, hoc discriminis erat, quod haec vnius seruati ciuis, illa plurimorum ciuium seruatorum signum erat; illam ciues liberati obsidione omnes dabant duci, qui liberauerat, vnico, hanc ciuis ciui, a quo esset seruatus; illa graminea erat, haec frondea, primum ex ilice, postea ex esculo, postremo e quercu; hinc frondea, querna f. quercea, δρύινος σέφανος synonyma sunt ciuicae. Huius figura frequens conspicienda est in nummis Imperatorum Romanorum, cum litteris intus OB CIVIS SERVATOS. Augusto vero data fuit, quod finitis intestinis bellis populum Romanum ab interitu vindicasset, vnde PLINIVS Lib. XVI. cap. 4: *dedit rostratam Augustus coronam Agrippae: sed ciuicam a genere humano accepit ipse.*

b) *Dat*] Ad verbum haec hucusque apud GELLIVM, quae autem sequuntur ita paullo aliter apud eundem sic leguntur: *ea fit e fronde querna, quoniam cibus victusque antiquissimus quernus capi solitus, fit etiam ex ilice; quod genus superiori proximum est, sicut scriptum est in quadam comoedia Caecilia.*

Adueruntur, inquit, cum iligna corona et chlamyde, Di vostram fidem.

c) *Ea iligna etc.*] PLINII haec esse videntur, apud quem, aliis licet verbis, eadem relata legimus.



ce, primum fuit, postea ex esculo, mox e fronde querna ^{d)} permansit, quoniam ex hisce arboribus primi mortales vitam sustentasse feruntur. ^{e)} Massurius ^{f)} Sabinus ciuicam coronam tum dari solitam scribit, cum is, qui ciuem seruauerat, ^{g)} eodem tempore etiam hostes ^{h)} occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat ⁱ⁾, quod postremum non
semper

- d) *Querna*] Quercus quippe, ilex, et aesculus Ioui erant sacrae et Iunoni, quibus diis urbium tutelam adsignabant veteres, et omnes sunt glandiferae; ad glandes enim potissimum respiciebatur, hinc PLINIVS Lib. XVI, 5, *uariatumque et cum quercu est, ac data ubique quae fuerat, custodito tantum honore glandis.*
- e) *Feruntur*] Hanc et alias rationes reddit PLVTARCHVS in quaestionibus Romanis, quae est. *διὰ τί τῶ σωσαντι πολίτην ἐν πωλέμῳ δρύϊνον δίδοασι σέφανον*; Operum Tom. II, fol. 285. edit. Wechel.
- f) *Massurius*] Haec iterum ex GELLIO, qui in vndecimo librorum memorialium, vel, vt vet. ed. habent, memorabilium Massurium haec scripsisse addit.
- g) *Ciuem seruauerat*] Magnum utique erat apud Romanos, propter praerogatiuam urbis, saluare ciuem; vnde Lucullus *malle se inquit vnum ex hostibus seruare ciuem Romanum, quam omnia quae hostium essent capere*, apud PLVTARCHVM, Opp. Tom. I, fol. 496. Hinc non dabatur in bello ciuili; nec dari poterat, quia occidi non poterat hostis, nec saluari ciuis, quin perderetur alius.
- h) *Hostes*] Apud GELLIVM est *hostem*, quod magis probo.
- i) *Reliquerat*] Pergit GELLIVS ita: *aliter ius ciuicae coronae negat concessum: Tiberium tamen Caesarem consultum, an ciuicam coronam capere posset, qui ciuem in proelio seruasset, et hostes ibidem duos interfecisset, sed locum, in quo pugnabat, non retinisset, eoque loco hostes potiti essent, rescripsisse dicit, eum quoque ciuica dignum videri, quod appareret tam iniquo loco ciuem ab eo seruatum, vt etiam a fortiter pugnantibus retineri non quiverit.* Ex quibus patet, nemini hanc coronam datam fuisse, nisi praecedente scrupulosa totius rei cognitione; quod et PLINIVS

NIVS



semper valuit. Hanc coronam ^{k)} vbi quis accepit, licet ea vti perpetuo in ludis; induenti semper assurgere etiam a Senatu in more est; Vacatio munerum omnium ipsi conceditur, ^{l)} patrique et auo paterno. Quatuordecim eas accepit Sicinius Dentatus, ^{m)} sex Capitolinus, ⁿ⁾ Africanus ^{o)} de
patre

NIUS testatur, qui leges arctas et superbas, Ioue ipso teste aduocato, multa sanxisse scribit, ciuem seruare, hostem occidere, vtque eum locum, in quo sit actum, obtineret hostis eo die, vt seruatus fateatur, alios testes nil prodesse, militem auxiliarem nullam partem habere huius gloriae, nec crescere hunc honorem, si quis ipsum Imperatorem seruasset, quoniam conditores legis in quocunq; ciue summum esse voluerint.

k) *Hanc coronam - - Trebiam*] Quae sequuntur ex PLINIO, paucis mutatis, sunt transpirata, quae hic annotabo: *Accepta licet vti perpetuo. Ludos ineunti semper assurgere, etiam a Senatu, in more est. Sedendi ius in proximo Senatui.* Vltimum hoc omisit noster, cuius tamen non displicet varia lectio *licet ea vti perpetuo in ludis. Induente etc.* Nam extra ludos ciuicas coronas in capite gestas fuisse non probabile, quia mancipia venalia in forum producebantur coronis cincta, vnde *sub coronâ venire*, venalem esse.

l) *Conceditur*] Abest haec vox in PLINIO, subintelligenda tamen, commode quapropter potest retineri.

m) *Dentatus*] PLIN. addit, *vt retulimus suo loco*, Libro nempe septimo, Sect. 29. Conferatur GELLIVS Lib. II, cap. II, hinc sine dubio in nummis familiae Siciniae palma et corona, et in aduersa caput Veneris cum inscriptione FORT. P. R. quod fortitudinem populi Romani lego.

n) *Capitolinus*] M. Manlius nimirum, qui, ob seruatum Capitolium, Capitolini cognomen fortitus est. In Codice perperam vna sententia scribitur: *Sex. Capitolinus Afrfricanus de patre accipere noluit.*

o) *Africanus*] P. Cornelius Scipio Africanus intelligendus, quem vix dum annos puerilitatis egressum pietas ad opem patri in acie
D
feren-



patre accipere noluit apud Trebiam. Hac corona L. Gellius, ^{p)} vir censorius in senatu Cicero-
nem Consulem donari a republica ^{q)} censuit ob
Catilinae coniurationem extinctam. ^{r)}

C A P. XI.

M u r a l i s c o r o n a.

Muralis corona ^{a)} est qua donatur ab Impera-
tore qui primus murum subiit, inque oppi-
dum


ferendam virili robore armauit ita, vt Imperatorem simul et pa-
trem ex ipsa morte raperet, et duplici gloria conspicuam mere-
ret coronam. Inter Padum et Ticinum hoc facinus contigisse,
FLORVS Lib. II, cap. 6, 10. et VALER. MAX. Lib. V, cap. 4,
memorant.

p) *L. Gellius*] In Codice est *L. Caelius*, Emendauit ex GELLIO,
cuius haec iterum sunt. L. Gellii, cum Cn. Cornelio Lentulo
Consulis, crebra apud CICERONEM, PLVTARCHVM alios-
que mentio.

q) *A republica*] Apud GELLIVM *e republica*, quod tamen, anno-
tante THYSIO, est etiam in vet. Ed.

r) *Extinctam*] Haec GELLIVS ita: *Quod eius opera esset atrocissi-
ma illa Catilinae coniuratio detecta vindicataque.*

CAP. XI. *Muralis corona*] a) Vt honore alia dona militaria antecelle-
bat, ita non nisi studiosissima praecedente inquisitione dabatur.
Hanc in Augusto laudat diligentiam SVETONIVS, qui cap. 25
memorat, eum dona militaria, phaleras, torques, et quidquid
auro constaret aliquanto facilius, quam vallares et murales coro-
nas, quae honore praecellerent dedisse; has vero quam parcissime,
et sine ambitione, ac saepe etiam caligatis tribuisse. Eius figuram
saepe habemus in nummis et signis marmoreis in capite Cybeles,
quae hanc ob causam turrifera, *πυργοφόρος*, appellatur. Ideo
autem ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πυργοφόρεει, vt LVCIANVS loquitur, seu
turritam coronam in capite gerit, quod vrbes initio super mon-
tibus positae sunt, vt loco munitissimo, et coelo sincero.



dum hostium per vim ascendit ^{b)} Erat ex auro,
atque ^{c)} idcirco quasi muri pinnis ^{d)} decorata.

C A P. XII.

Corona castrensis.

Castrensis corona est, qua eum donat Imperator,
qui primus hostium castra pugnans introiuit.

D 2

Eadem

b) *Ascendit*] GELLIVS habet *escendit*; vtrumque commode. LIVIVS, Lib. XXV, cap. 48, quod hanc in rem conferri omnino meretur, dixit ascendit. *Itaque quamquam omnibus omnia deberet, praecipuum tamen muralis coronae decus eius esse, qui primus murum ascendisset: profiteretur, qui se dignum eo duceret dono.*

c) *Erat ex auro atque*] In GELLIO haec non leguntur, infra tamen, postquam de castrensi et nauali dictum, additur: *Et muralis autem et castrensis et naualis fieri ex auro solent.*

d) *Muri pinnis*] Aut turribus, PLIN. loc. cit. An autem eius circulo, quod SPENERVS in Opere Heraldico P. I, cap. VI §. 31 vult, insculpti fuerint leunculi, fortitudinis aequae ac ipsius Cybeles infigne, non liquet. Cuniculos tamen aut lepusculos eidem insculptos fuisse credideris, si eius aeri incisam figuram apud MONTFALCONIVM, Antiquitatis explanatione et schematibus illustratae Tom. IV, P. I, tab. 107 inspexeris, qui minus accuratas et mutilatas saepe exprimit figuras.

CAP. XII. a) *Eadem vallaris dicitur*] Hoc GELLIVS non habet, et noui castrensem et vallarem diuersas quibusdam videri coronas fuisse, eoque inter se distinctas, quod vallaris fuerit graminea, atque illis data, qui primi vallum, castra ambiens, ascendissent: castrensis vero aurea, illi saltem ab Imperatore donata, qui primus castra hostium introiisset. Addunt, quod tamen non videtur, castra vallo non semper fuisse munita. Ast recte noster, non fuisse diuersas. VALERIVS Maximus enim, vbi de castris Lucano et Brutiorum expugnatis loquitur, ita scribit Lib. I. cap. 8. §. 6, *Cum Consul inter honorandos, quorum strenua opera fuerat usus, vallarem coronam ei se seruare dixisset, a quo castra erant oppressa,*



Eadem vallaris dicitur, ^{a)} et aurea est ^{b)} et insigne valli habet. ^{c)}

C A P. XIII.

N a u a l i s c o r o n a .

Naualis est, qua donari solet maritimo praelio qui primus in hostium nauim vi armatus transfiliuit,

oppressa, nec inueniretur, qui id praemium peteret. etc. Quibus verbis perspicuum fit, inter vallarem et castrensem nullum, nisi nominis fuisse discrimen: *vallaris* enim dari debebat ei, qui *castra* oppressisset.

b) *Aurea est*] Etsi primum fuit frondea, qua, vt supra C A P. III, ex P L I N I O vidimus, Romulus Hostum Hostilium coronauit, quod Fidenam primus irrupisset.

c) *Insigne valli habet*] Huius caeteroquin coronae nullum vestigium in nummis reperiri, dudum annotarunt antiquitatis et rei numismaticae periti.

C A P. XIII. a) *Nauium rostris insignita*] Classicam hanc, vt V E L L E I V S eam appellat, coronam, quae ducibus dabatur, raro et vix vnquam concessam fuisse, D I O Cassius ostendit, qui Lib. XLIX, cap. 14, fol. 579, ed. Reimarianae de Agrippa refert, eum ab Augusto corona rostrata fuisse donatum *quod neque ante neque post eum contigerit vlli.* Idem dicit V E L L E I V S Patreculus Lib. II, 81, 3, et L I V I I Epitom. 129: *M. Agrippa nauali corona a Caesare donatus est: qui honos nemini ante eum habitus erat.* Vtrumque tamen falso adseri, patet ex P L I N I O Lib. VII, cap. 30, et Lib. XVI, cap. 4, qui M. Varronem a Pompeio in bello piratico, ante Agrippam, corona nauali donatum fuisse, testatur, et ex F E S T O, qui hunc honorem A. Attilio (s. Attilio) non modo, sed et aliis post Varronem et Agrippam contigisse memorat. Quantum vero ad formam coronae naualis attinet, ea cognoscenda est optime ex nummis Augusti Caesaris in honorem Agrippae cufis, in quibus eius caput corona rostrata ornatum conspicitur, cum inscriptione M. AGRIPPA L F COS III, in auersa vero Neptunus



uit, aurea est, et quasi nauium rostris insignita, ^{a)}
rostrata etiam appellatur ^{b)}

C A P. XIII.

Quae primum aurea corona.

Ceterum non statim in usu fuerunt coronae ex
auro. Primum ab A. Postumio, dictatore
corona aurea ei tradita est, cuius maxime opera
apud lacum Regillum castra Latinorum expugnata

D 3

fuit

ptunus nudus palliatus d. delphinum s. tridentem S. C. tenens, ad
indicandam de Siculis, et Sex. Pompeio victoriam naualem. Pi-
cturam eius, quam MONTEFALCONIVS cit. loc. exhibet, ex
Stewechio, vt opinor, desumptam, non probo. Eius circulo sca-
rabaeos, in fortitudinis naualis signum, insculptos fuisse, perhi-
bet SPENERVS, loc. cit. quorum fide nescio.

b) *Rostrata etiam appellatur*] Statuunt tamen alii, nec, vt videtur,
sine ratione, discrimen aliquod inter naualem et rostratam, ita vt
vtramque quidem auream, naualem tamen magis communem, nec
rostris distinctam fuisse dicant, iisque datam, qui in nauim ali-
quam transcendissent primi, quod saepe fit factum: rostratam ve-
ro in summo fuisse pretio, et non nisi ducibus ipsis datam, qui
magna industria naualem aliquam insignem victoriam essent conse-
cuti, assimilandam quodammodo obsidionali coronae, et soli ci-
uicae cedentem. Optime hoc decet LIPSIVS de milit. Rom.
Lib. V, 17, Tom. III Opp. pag. 211.

C A P. XIII. Quae hoc capite traduntur EX PLINIO iterum sunt
Lib. XXXIII, Sect. Hard. XI, Tom. II, pag. 608, vbi de equestri
ordine haec: *Idem, (equites) quod magis miremur coronas ex
auro dedere ciuibus. Quis primus donatus sit ea, non inueni, sed
quis primum donauit, a L. Pisone traditur, A Posthumius Di-
ctator. Apud lacum Regillum castris Latinarum expugnatis, ei,
cuius maxime opera capta essent, hanc coronam ex praeda is dedit.*
De hoc Albino Posthumio, qui signum militare ipse in hostes ia-
culatus est, postquam diu Marte vario dimicauerat, vt forti pe-
teretur cursu, euoluendus est LIV. Lib. II, c. 19, et FLORVS,
Lib. I, cap. XI, 2.



fuissent. ^{a)} L. Lentulus Consul mox Seruilio Merendae ^{b)} tradidit, Samnitium ^{c)} oppido capto. Sed quinque librarum corona Piso Frugi ^{d)} filium ex priuata pecunia donauit, eamque pecuniam testamento reipublicae legauit.

a) Reliqua huius cap. apud eundem ita: *Item L. Lentulus Cos. Seruio Cornelio Merendae, Samnitum oppido capta: sed huic quinque librarum. Piso Frugi filium ex priuata pecunia donauit: eamque coronam testamento ei praelegauit.* Aliter interpunxit noster, nec displicet; et varia lectio vltimorum verborum, *eamque pecuniam testamento reipublicae legauit* omnino praeferenda et genuina videtur.

b) *Seruilio Merendae*] PLIN. habet, *Seruio Cornelio Merendae.*

c) *Samnitium*] In MSTo est *Samnitum iterum.*




d) *Piso Frugi*] Ab insigni frugalitate ita cognominatus. Cfr. VALER. MAX. Lib. IV, cap. 3, n. 10. Coronas aureas alias decem pondo fuisse, vidimus supra.

Hoc est chartaceum meum, vile fateor, donum; hae sunt gramineae quamuis, quas TIBI Pater Optime porrigere volui, coronae congratulationis causa. Ast nec omnes apud Romanos, quae in honore erant, aureae et gemmatae erant: in obsidionali, quae graminea, qua tamen nulla nobilior erat, Plinio teste Lib XXII, Sect. VII. Hard. nullae herbae fuerunt certae, sed quaecumque erant in periculi sede, quamuis ignobiles ignotaeque, nobilem faciebant honorem. Sic vt libellus Alpharabii, quem gramineum non negabo scriptorem, ad TE non sine omni oblectamento perueniat, et opto, et pro TVA Paterni fauoris et gratiae abundantia spero atque confido. Nec aliae, quam ex fronde, apud Graecos olympicis victoribus dabantur, et tamen has cecinit Pindarus: cuius quum, nuper verba interpreta- rer de Ergino, Orchomeniorum rege, qui annosus admodum et canus iam iam cum robustis iuuenibus stadium ingressus, cursu in aereis armis perniciosissimos vicerat: Χαλκοῖσι



Χαλκιοῖσι δ' ἐν ἔντεσι νικῶν
 Δρόμον, ἔειπεν Ὑψιπυλεία,
 Μετὰ σέφανον ἰών: κ. τ. λ. Olymp. Δ, p. 134, ed. Schmid.

*Aereis enim in armis vincens cursum, dixit Hypsipylae, (Lemni-
 orum regis filiae, certamen instituenti) ad coronam accipiendam
 vadens: Ille ego sum etc., T V mihi veniebas in mentem, et cum
 Ergino videbaris comparandus, qui nunc quoque, exactis in mu-
 nere graui, plaudentibus omnibus, quinquaginta annis, laetus et
 gaudens ad coronam vadere dici potes; non ad mundanam aut hu-
 ius saeculi, sed ad immarcessibilem illam gloriae coronam, quam
 praeclarum certamen decretantibus, tentationem tolerantibus,
 praemium promisit Deus. Hoc vt post plurimos demum annos
 feliciter tandem contingat, votorum meorum nunc est vnica summa.
 Mihi vero, pia vota TIBI dicturo, accidit propemodum idem,
 quod Croesi filio, loquendi vsu destituto, accidisse memorat Valeri-
 us Max. Lib. V, cap. 4. Ille ex timore, ne patri praemature vita
 eriperetur a milite, factus est vocalis, proclamando ne Croesum
 regem occideret: ego, nec natus nec factus poeta, ex plenissi-
 mo de longaeuo Parente gaudii sensu, oblitus velut quid fortuna
 mihi denegauit, ligata oratione ita TIBI bene precari nunc
 sustineo:*


 *I*ubila, Chare Parens, laetus TIBI gratulor, ore
 Casto quae resonas, pectore mota diu.
 O desiderii pars anxia, gaudia testor,
 Quae gignit, multum saluae! hodierna dies.
 Quam labor assiduus meruit grator TIBI laurum,
 Quae raro exemplo tempora cana premit,
 Insimul et dono, pauper, patiare, corollas
 Gramineas quamuis, offero mente pia.
 Quin gratare mihi, DEVS haec quod gaudia fecit
 Exoptata diu, saepe precata mihi,

Gaudia,



Gaudia, dimidium ob secli quae pectora laxant
 Nunc TIBI consumtum Regis in aede sacra
 Altitonantis, et ima potenter cuncta regentis,
 Laetitiae solus qui dator atque bonus.
 Illius ad solium TĒcum prosternor, et illi
 Grates persoluo, nuncupo vota TIBI:
 Grates, quae feruent sancta pietate potenti;
 Vota TIBI; melior qui nequis esse Pater.
 Non TIBI Nestoreos iterum nunc apprecor annos,
 Seu denos decies, ut solet. ore vago,
 Impius an dicar? Quin religio iubet ipsa
 Non vouere nimis, nec mera verba loqui.
 Audiat ergo Deus mea non inconscia vota,
 Simplicitate sua quae placitura reor!
 Praefixos peragas annos TIBI sospite cursu,
 Quos fore complures fido, rogoque Deum,
 Hos, non vana precor, de nostris augeat annis
 Cuius ad arbitrium vita ruit fugiens.
 Tu procul euentura videns, cui deditus ipsis
 Viuit et in mediis est super exitiis,
 Omnibus ex damnis, si restant, eripe Patrem,
 Cui sit mens hilaris, si mala dura premunt.
 Aspera fac positis videat mitescere bellis
 Saecula, fac possit pace fruique diu.
 Sic aetas placide labatur, longa senectus
 Decurrat lente, sit procul angor atrox.
 Sic ad coelestem laetus seroque coronam
 Vadat, legitime quem meruisse iuuat.



Coll. diss. A. 238, misc. 35